

in mora, ut si acuta pestis repente invaderet monasterium, et Episcopus multum distaret; tunc enim æquipararetur hic casus incendio. Quia vero adeo est rarus ut non sit moralis, non commemoratur in lege. Solum posset urgeri casus, in quo monialis constituta in dicto periculo mortis, petita facultate, eam obtinere non possit; tunc enim non videtur obliganda ad servandam legem cum tanto periculo vitæ. Tamen, quia res morales periculis expositæ sunt, non est hujusmodi casus admittendus, nec talis libertas concedenda, tum quia non potest hic tam evidenter constare de periculo, sicut in incendio; et ideo, si Prælati informati non approbat necessitatem, præsumendum est non esse sufficientem; tum etiam quia nunquam id fieri posset sine magno scandalo et infamia religionis, atque ita militat ibi ratio servandi legem humanam, etiam cum vitæ periculo, propter commune bonum suæ religionis.

13. *Secundum dubium, a quo et quomodo, supposita causa, danda sit licentia. — Dispensationem proprie sumptam solus Papa concedere potest jure ordinario, quoad clausuram. — Quid Tridentinum et Pius V pro facultate simplici requirant. — Emmanuelis placitum expenditur. — Ex his ergo declaratum relinquatur ultimum punctum in fine num. 1 propositum, quis, scilicet, et quomodo possit in hoc præcepto dispensare. Possumus autem hic distinguere facultatem a dispensatione modo in superioribus adnotato. Nam facultas est pars materiæ ipsius legis, quia prohibitio ipsa est ingrediendi absque tali facultate ex tali causa concessa; et ideo cum talis facultas datur, revera non dispensatur in lege, sed juxta illam fit; dispensatio autem propria esset, si daretur licentia egrediendi sine causa et facultate in lege requisitis. Dispensationem ergo in hoc rigore et proprietate sumptam solus Papa concedere potest, quia solus ipse potest in suis legibus dispensare jure ordinario. Nec fingi potest casus, in quo ex accidenti sit necessaria dispensatio Episcopi, quia in eo sufficere facultas quam ipsa lex permittit, et ita cessabit ratio dispensationis in ipsa proprietate sumpta. Loquendo autem de facultate, Concilium Tridentinum dixit legitimam causam ab Episcopo esse approbandam; et Pius V dixit hoc esse intelligendum etiam de monasteriis exemptis a jurisdictione Episcoporum, et vult approbationem dari in scriptis, expresse, et causa cognita, et postea subdit: *Aliter autem, quam ut præfertur, egre-**

*dientes, etc.* Ex quibus verbis colligitur, omnes illas condiciones necessarias esse ad vitandam culpam et censuram. Extendit tamen nomen *Episcopi*, dicens: *Per Episcopum, seu alium loci Ordinarium.* Quod intelligo de Ordinario habente jurisdictionem Episcopalem: hoc enim significare solet *Ordinarii* nomen, quando agitur de actu pertinente ad jurisdictionem fori contentiosi, et maxime in materia tam gravi. Et hæc non est additio, sed interpretatio Concilii Tridentini, quia nomen *Episcopi*, in his rebus extendi solet ad Ordinarium habentem jurisdictionem Episcopalem. Et fortasse ob hanc causam congregatio Cardinalium in nonnullis responsis de hac materia semper utitur nomine Episcopi, quamvis sine dubio non recedat a mente Pii V. Quæri autem potest an hæc approbatio et licentia Episcopi sufficiat. Ad quod respondendum est, in monasteriis subjectis Episcopo sufficere, quia ibi ipse est Episcopus, et Prælati religionis. In exemptis vero necessaria præterea est licentia proprii Prælati, Provincialis, scilicet, vel Generalis, juxta juniuscujusque institutum; hanc enim licet Concilium non requirat, non excludit, sed potius supponit ut jure communi necessariam; semper enim loquitur secundum jus, quando illud non immutat: et ita expresse declaravit Pius V, et dicta Congregatio Cardinalium in multis responsis. Et uterque, tam superior regularis quam Episcopus, debet approbare legitimam causam, ut Pius V dixit. Emmanuel autem Rodrig., d. quæst. 49, art. 6, ait hoc non esse in usu in Hispania, et ideo sine scrupulo sufficere in illa licentiam Provincialis habentis jurisdictionem Episcopalem, quia ipse etiam est Episcopus et Ordinarius talis monasterii; et constitutio Pii vel est intelligenda, quando Prælati monasterii non habet jurisdictionem Episcopalem, vel per non usum amisit vim obligandi. Sed quod ad jus attinet, prior expositio violenta est, nam Pius expresse requirit, præter alios Ordinum superiores, approbationem Episcopi vel Ordinarii, etiamsi monasteria exempta sint; et declarationes Cardinalium expresse requirunt consensum superioris regularis et Episcopi diocesanis; et declarant Episcopos posse per censuras compellere quoscumque superiores religionum ad hoc observandum, non obstantibus privilegiis. Quod vero attinet ad non usum, res est facti, quæ mihi non satis constat. Illud tamen scio, legem ecclesiasticam non pendere ex acceptance, nec amittere vim suam, nisi post

longissimam præscriptionem, præsertim quando dat jurisdictionem, contra quam præscribendum est.

14. *Dubium, an monialis cum facultate sine legitima causa data, egredi possit. — Sed quid si dent licentiam sine causa legitima? eritne tuta in conscientia ipsa monialis? Respondetur: minime, per se loquendo; nam ipsa, bona fide procedendo, semper debet præsumere Prælatos legitime agere, etiam in eo casu opinabili vel dubio, quia hoc est ordinarium jus superioris, et in præsentem maxime juvat, si duo tam graves Prælati concordent. Si tamen ei constet in conscientia causam non subesse, et favore vel alio modo licentiam obtineat, nec culpam nec censuram excusat; quia et illa facultas in re ipsa nulla est, et eam non latet; et quia Pius V dicit: *Aliter autem, quam ut præfertur, egredientes;* prædictum autem fuerat ut sine legitima causa et probata non exeant. Quæ porro sit hæc causa legitima, satis jam explicatum est; ut autem ex omnibus dictis regulam summatim colligamus, non censeo hoc esse absolute relinquendum prudenti arbitrio Episcopi aut Prælatorum, ut ex vi Concilii relinqueretur; quia Pius V illam legitimam causam vel limitavit, vel declaravit; juxta quam limitationem, prout a nobis exposita est, videtur posse generaliter dici hanc causam consurgere vel ex necessitate præcisa ad propriam vitam tuendam, vel ex necessitate vitandi contagium seu damnum aliarum monialium. Quæ profecto est satis magna restrictio, ita vero scripta est.*

15. *Objectio contra doctrinam proximi dubii diluitur. — Sed objiciet aliquis ex Navarri supra, quia Pius V non videtur derogasse Concilio Tridentino, quod etiam absolute affirmat Emmanuel Rodrig., d. quæst. 49, art. 5, quia in sua constitutione idem Pontifex ait, velle se adhærere decreto Concilii Tridentini. Verum tamen negare non possumus Pontificem amplitudinem illam Concilii quodammodo coarctasse, sive per derogationem, sive per limitationem, juxta doctrinam Bartoli distinguentis illa duo, in l. *Si constante*, ff. Solutio matrim., n. 39. Nam illa limitatio potius est per quamdam declarationem, quam per derogationem. Quæ declaratio licet limitans seu coarctans videatur, quando pietatem respicit, favorabilis potius quam correctoria censetur, argumento cap. 2, § *Statuimus*, de Decimis, in 6. Ob hanc ergo causam, non obstante illa limitatione, dicitur Pontifex adhærere Concilio, et nulla facta mentione derogationis*

illud limitavit; alioquin inutilis fuisset lex Pii V quoad illos tres casus, quos enumerat, quod in omni legum interpretatione cavendum est.

16. *Quid si e contra subsit causa, sed approbatio ejus, vel licentia negetur. — Quæri vero ulterius potest quid dicendum sit, si e contrario causa legitima in re subsit, Episcopus autem vel Prælati nolit illam approbare. Respondeo, duo hic intervenire, quæ videntur distinguenda: approbatio causæ, et licentia exeundi, nam revera separabilia sunt, ut de approbatione quoque et facultate ad confessiones audiendas in tomo de Pœnitentia notavimus; quia, quamvis nullus det licentiam quin approbet, moraliter ac prudenter loquendo, tamen e converso ad aliquem pertinere potest approbatio causæ, quæ consistit in judicio de sufficientia illius, absque potestate dandi licentiam. Atque hoc modo videtur pertinere approbatio ad Episcopum quoad monasteria exempta: et ita Concilium nihil aliud dixit, nisi causam ab Episcopo approbandam; et Pius V, ut causa cognita, et in scriptis expresse approbata sit. Sine approbatione ergo causæ exiri non potest, juxta prædictas leges, etiamsi injuste negetur; quia hæc jura requirunt ut de facto approbatio præcedat, extra casum incendiis, vel similes; licentia vero proprii superioris ex vi status religiosi necessaria est. Quocirca, si monasterium est subjectum Episcopo, et ipse negat approbationem, et consequenter negat licentiam exeundi, nullo modo licet exire, quia utrumque jus obstat, et per modum defensionis, aut justæ executionis id fieri non posset sine magno scandalo, et in casu potius ficto quam morali, ut supra in simili dicebam, in num. 12. Quando autem monasterium est exemptum, et Episcopus non vult approbare causam, Prælati autem proprii licentiam præbet, et causam approbat, si injustitia Episcopi evidens sit, videtur in conscientia posse excusari monialis; quia tunc ratio religionis proprie non obligat, et alioquin lex positiva non videtur in eo casu obligare; quia tunc re ipsa impletur quod lex intendit, quamvis exterior solemnitas desit, ad quam non videtur obligare cum tanto dispendio, licet fortasse in foro exteriori aliud præsumatur. Si autem e contrario Episcopus approbet, et Prælati resistat, et nolit licentiam dare, permittendus non est exitus (moraliter loquor), quia tunc et hæc lex obstat, et intrinseca obligatio religionis, seu obedi-*

tiæ : et quia tunc vix potest vitari grave scandalum, et apostasiæ periculum, vel species, cum infamia religionis. Quod maxime urget, quando clausura speciali voto promissa est, quia in objecto seu materia ejus includitur semper licentia Prælati. Et ideo quoad hoc multum referre potest, quod hæc obligatio nascatur ex voto, vel solum ex lege humana. Sicut etiam referre potest ad hoc, ut dispensatio concessa sine legitima causa, etiam a Romano Pontifice, invalida sit.

17. *De pœnis monialium clausuram frangentium.* — Ultimo, notari possunt pœnæ, quæ in dictis constitutionibus feruntur contra moniales frangentes clausuram. Concilium enim Tridentinum nullam in hoc casu tulit, sed solum contra magistratus seculares, qui negant auxilium Episcopis necessarium ad clausuram instaurandam, ponit pœnam excommunicationis ipso facto; et eandem ponit inferius contra ingredientes in monasteria monialium, de quibus mox dicemus. Contra ipsas vero moniales egredientes illegitime nullam ponit censuram vel pœnam, sed simplicem prohibitionem. Pius vero V, in Motu proprio qui incipit : *Decori et honestati*, excommunicationem posuit ipso facto, et alias pœnas, quas extendit etiam ad recipientes, comitantes, et dantes illis auxilium. De quarum interpretatione legi potest Navar. in dicto Comment. 4, et quæ infra dicemus de pœnis apostatarum, ne oporteat eadem repetere; nam in his omnibus eadem fere est proportio; imo in rigore sufficit applicare generales regulas de censuris, et de aliis legibus pœnalibus, quas lectorem non ignorare suppono.

#### CAPUT X.

DE ALTERA PARTE CLAUSURÆ MONIALIUM, QUOAD INGRESSUM SCILICET IN EARUM MONASTERIA.

1. *Jure antiquo prohibitum omni ex parte non fuit ingredi in monasteria monialium.* — Non minus necessarium est ad virginum custodiam et religiosos mores, ut seculares vel extranei intra earum claustra non ingrediantur, quam ut ipsæ inde non egrediantur; et ideo sacri canones non minus hoc quam illud prohibuerunt. Ex antiquioribus hoc prohibent Concilium Matisconense I, cap. 2, et Concilium Arelatense IV, cap. 7. Quibus locis non videtur facta absoluta prohibitio, sed cum aliquibus limitationibus ex parte personarum, vel ex parte actionum. Nam quoad primum

additur in dict. cap. 7 hæc limitatio : *Nisi aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere*; quamvis hæc non pro ingressu, sed pro accessu addita videatur; quæ duo quomodo distinguantur, patebit ex dicendis : quoad primum vero permittitur ibi ingressus ad dicendas Missas, quod postea mutatum est. In septima etiam Synodo, sess. 7, can. 20, prohibetur fieri duplex monasterium, id est, ex feminis et viris constans; et explicatur regula Basilii, secundum quam talia monasteria permittebantur, ita esse servanda, ut ab uno monasterio ad aliud aditus non pateat. *Et quando necessaria vitæ* (inquit) *a parte virorum ad regulares deferuntur, extra portam hæc suscipiat Abbatissa monasterii feminarum cum aliqua vetula monacha.* Ante septimam vero Synodum, in Concilio Agathensi, cap. 28, præceptum fuerat monasteria puellarum longius a monasteriis monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum, collocari. Quæ refert Gratian., cap. *Definimus*, et cap. *Monasteria*, 48, q. 2, ubi plura alia decreta de hac materia refert. In illis tamen omnibus non invenio absolutam prohibitionem hujus ingressus, quoad omnes personas, tam viros quam feminas non professas, in tali monasterio.

2. *A Bonifacio integra prohibitio primo manavit.* — *Num in tali prohibitione comprehendantur pueri ante usum rationis.* — Primus ergo qui hanc clausuram integre præcepit, fuit Bonifacius VIII, in dict. cap. unico, de Statu regular., in 6 : *Nulli* (inquit) *aliquatenus inhonestæ personæ, neque etiam honestæ, nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus, vel accessus pateat ad easdem.* Quod præceptum constat quoad personas universale esse, quia sub voce personæ honestæ, tam feminæ quam viri, et tam laici quam clerici vel monachi, et Episcopi comprehenduntur. Id vero clarius declaravit Concilium Tridentinum, sess. 25, de Regular., cap. 5, dicens : *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint.* In quibus verbis dubium oriri potest circa illam particulam, *cujuscumque ætatis*, an comprehendantur pueri ante usum rationis. Sed manifestum est eos ex parte sua non comprehendendi, quia non sunt capaces præcepti; lex autem illa directe refertur ad ipsos ingredientes, cum tenor ejus sit : *Ingredi nemini liceat.* Et non potest comprehendere pueros pro ea ætate, in qua nihil potest

eis esse illicitum; ex parte vero introducendum vel admittentium ipsos posset magis dubitari. Sed de hoc genere cooperationis ad hunc ingressum, etiam pro his personis quibus est illicitus, nihil Concilium Tridentinum locutum est; neque in Motibus Pii V, 8, 22, aut 100, neque in Motibus Gregorii XIII, 43, 36 aut 75, qui sunt de hac clausura, aliquid circa has personas specialiter expressum invenio, præterquam in 36 Gregorii, ibi : *Neve moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.* Sed constat ex contextu, relativum *illos*, solum referre quasdam personas ibi nominatas, quæ prætextu quarundam facultatum, alias legitimarum pro articulis necessitatis, volunt ingredi, etiam quando nulla est necessitas. Unde potius sumitur ab speciali argumentum, cum in aliis locis hæc additio non fiat, non extendi præceptum vel pœnas ejus ad hujusmodi personas. Talis ergo cooperatio in tantum erit prohibita, in quantum ipsa de se fuerit mala, supposita culpa in ingredientibus; quia cooperatio ad culpam per se mala est, et consequenter eodem præcepto prohibita, etiamsi ad incurrandam ejus pœnam non sufficiat. In prædicto ergo casu, de pueris ante usum rationis, cum ex parte illorum nulla sit culpa, ex parte admittentium ipsos nulla est cooperatio ad culpam; cumque prohibitio directe non cadat in ipsos infantes, non potest indirecte redundare in admittentes ipsos; ergo ex neutra parte hic ingressus prohibitus est.

3. *Num grandiores, sed tamen perpetuo amentes.* — Sed insurgit difficultas, nam sequitur idem esse dicendum de perpetuo amentibus, qui nunquam usum rationis habuerunt, etiamsi grandioris ætatis sint; consequens videtur esse contra bonos mores, et contra intentionem Concilii; ergo. Sequela patet, quia illi non peccant ingrediendo, nec sunt prohibiti, quia non sunt capaces præcepti; ergo nec moniales prohibita sunt admittere, vel introducere illos, neque in hoc peccant. Minor probatur, quia inde possunt sequi eadem incommoda, vel majora, quam si illi haberent usum rationis, qualia sunt indecentes joci, impudici tactus, et similia, ex quibus constat talem ingressum directe esse contrarium intentioni illius legis.

4. Ad hoc Navarrus, d. Comment. 4, num. 59, quem sequitur Emmanuel Rodrig., 1 tom., quæst. 46, art. 1, Thom. Zerola, in praxi Episcopali, part. 1, verb. *Moniales*, ad 8, quæsitum, vers. 4, negat admittendam esse

sequelam, quia fatui (inquit) licet non possint peccare, possunt tamen ad peccandum incitare, tumultum facere, turpiter jocari, et similia monasterio nocentia asportare. Quæ ratio probat quidem bene peccare moniales contra legem naturæ, vel contra suam regulam hos admittendo, vel certe etiam contra votum castitatis, si mala intentione, vel cum morali periculo læsionis ejus, illos admittant. Quomodo etiam poterunt peccare admittendo parvulos, præsertim grandiusculos, licet nondum ratione utantur; quia, licet ipsi non possint peccare, neque active ad peccandum incitare, possunt esse materia peccandi, et objective movere, vel occasionem præbere ad faciendum tumultum, vel turpiter jocandum, vel aliquid pejus. Non videtur autem probare illa ratio illud esse peccatum contra prohibitionem Concilii, tum propter replicam factam, quia etiam quoad illam rationem est similitudo in pueris; tum maxime quia, ut lex obliget, non satis est finis legis, nisi interveniat etiam materia legis. Quamvis enim lex jejunii hodie obliget propter talem finem, quamvis idem finis, vel eadem necessitas sit in me alio die, non obligabit me lex jejunii, si pro illo die non est posita. Sic ergo, cum hæc lex non sit posita pro his personis ratione earentibus, licet in aliquibus earum ratio et necessitas legis eadem sit, obligatio non erit eadem, præsertim quia, cum hæc lex non obliget moniales nisi indirecte, urget semper ratio, quod cessante obligatione directa circa alios, nulla possit in ipsas redundare.

5. Nihilominus sententia illorum auctorum mihi placet, censeoque esse peccatum grave contra prohibitionem Concilii admittere has personas. Rationem vero esse existimo, quia præceptum illud per se et vi sua illas etiam personas obligat, quamvis ex accidenti excusetur; aliud enim est non obligari, aliud excusari a lege, ut ex materia de legibus suppono. Hanc ergo differentiam invenio inter infantem, et adultum perpetuo stolidum, quod infans per se est incapax præcepti, et ideo ad illum nullo modo dirigitur; adultus vero est capax, per se loquendo; quod autem in tali ætate per se sufficiente ad usum rationis habeat impedimentum ejus, per accidens est; et ideo tale impedimentum excusat quidem personam a transgressione præcepti, non tamen excludit quominus præceptum in illam cadat. Ideoque si talis persona admittatur vel introducatur in monasterium, licet ipsa non peccet, peccant aliæ, quia ille in-